



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiæ, 1605**

Qvomodo Fazambvrvs Nagoiæ Intellexerit Captivos Non longè abesse.  
Capvt XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

Christo, omnia Rosaria ad se afferrent, ostiisque ædium suarum affigerent consuetam tabellam, in qua gentiles scribere solent nomen idoli, cum nonnullis aliis verbis: ac putant stulti illi, has tabellas vim quandam habere contra ignes, morbos, aliaque huiusmodi. Infideles itaque, Christianorum consanguinei, timore Tyranni impiè iis consulebāt, vt externa saltem specie edicto regio parerent. Verùm illi potiùs ad mortem oppetendam, quam ad minimum gentilitii erroris indicium dandum, parati, responderunt, se hac in re non obsecuturos, ac mox quendam studio amandarunt Nangasachum, qui cognosceret ex nostris, quid citra Diuini numinis offensionem in eiusmodi casu agere possint.

Dominus quoq; Firādi, qui maximè semper abhorruit à Christianis, non neglexit hæc occasione quosdam in ruinam spirituale impellere, speciatim autè nurum suam, filiam piæ memoriæ D. Bartholomæi. Verùm illa pro sua cōsueta fortitudine ita sustinuit illius impetum, vt socer, deposita vincendi spe, ab ea diuexanda se abstinerit. Alii quoque Christiani, iam ad hos insultus assuefacti, forti pectore homini restiterunt.

Nec inferiorem constantiæ laudem retulere incolæ Nozu, quibus præest quidam Dux belli: nam vt eò perlatus fuit rumor earum terrū, quæ Meaci agebantur contra Christianos, dictus belli dux priuario cuidā Christiano, iam annis graui, nomine Leonni, imperauit, vt vnà cum aliis renunciaret fidem Christianam. At bonus senex, cui nihil animæ salute carius erat, magna libertate respondit: Occidere me potes, sed non adigere ad deserendā fidē Christianā: cuius consiliū exemplūq; secuti alii, singuli sibi confecerunt crucem, vt si cogerentur abnegare Christum, ea in humeros sublata egrederentur quasi parati illam suffigi: nulla enim remelius impio illi posse responderi, & declarari sui animi propositum. Hac constantia ille perterrefactus, sceleratos conatus suos inhibuit, eosque in religione, qua vellēt, viuere permisit. Post hæc Leo de omnibus nostros reddidit certiores, perens pro similibus certaminibus Rosaria, imagines, calculos benedictos, aliaq; arma spiritualia. Sed satis sit nunc de hac materia.

QUOMODO FAZAMBVRVS NANGOIÆ  
INTELLEXERIT CAPTIVOS NON  
longè abesse.

CAPVT XII.

Postremo



**P**ostremo die Ianuarii, cum captivi peruenissent Facarum humanitate consueta recepti sunt à gentilibus, quibus magno exemplo fuerunt. Quidam eius loci Christiani inuisere, & sancta monita ab eis retulerunt. Paulus frater, vnum iter consumpsit predicando militibus & aliis; sic noctis partem, qua hæsit Facaræ, in eodem labore impendit. Interca eius ad Facamburum affertur, captiuos breui adfuturos, hinc que ei offeruntur patentes Regis litteræ, quibus mandabatur sine cunctatione eos deducere Nangafacum. Itaque subito iter forem destinavit ad Vicegubernatorem Nangafacanum monitum, ut quinquaginta cruces pro reis paratas haberet, breui cum aduolaturus. Dicit non potest, quanta obmurmuratio inter Lusitanos & Iaponios orta sit, post audita hæc noua: numerus quoque crucium varias cogitationes peperit, cum longè maior esset quam captiuorum. Quantum autem desiderium quamque diurnus ardor obortus fuerit in populo, quòd tam gloriosum decumbendi conditio contigisset, res fuit admiratione dignissima nam neque intra ades neque publicè per vias de alia re sermo haberi videbatur, quàm de hac. neque facile est omnia narrando persequi, quæ particulatim accidere: vnum tantum alterumve attigam, vnde coniectura fiat de reliquis.

Qua nocte Nangafacum perlatum est mandatum de parandis tot patibulis crucis, primarius quidam vir cum vxore sua hactenus discurrebat, parans se ad martyrium. Decumbebant in eodem cubiculo duo ipsorum filii, alter quinquennis vel sexennis, alter vndecim annorum. Hic maior, audito strepitu, exiliens è lecto, cursu contendit ad Patrem, sciscitaturus quid rerum ageretur: re breuiter cognita, mox percontari pergit. Vobisne, inquit, pater mi moriendum? Cum pater subdicere: Omnino. O, inquit adolescentulus, quanto exulto gaudio? sic enim & mihi libebit vos sequi. Deinde digito demonstrans fraterculum dormientem. Quid verò, inquit, illo fiet? Respondit parens: Nobiscum vna erit martyr. Tum iuenculus: Iam duplicatum sentio gaudium, quòd quidem omnes simul ab hoc mundo immigrabimus in cælum.

A quodam alio puero quinquenni in principe domo Nangafacensi quidam è Patribus nostris percontatus est, quando quidem iam venirent gentiles, ut ex regis voluntate interimant Christianos, quid respondere cogitet, si rogatus fuerit, an Sacramentum baptismatis susceperit? Respondebo, inquit puer, me esse Christianum. Sed si, subiecit Pater, eam ob rem te velint occi-



dere, quid facies? Respondit, præparabo me ad mortem. At quo modo? inquit Pater. Respondit puer, cum admiranda animi fortitudine, manantibus inter verba lachrymis: Usque ad mortem implorabo Iesu misericordiam. Atque hoc satis sit, ad indicandū horum Christianorum feruorem.

Iam, vt ad captiuos redeamus: Calendis Februarii discessum est Facata: & ventum est in locum, dictum Carazu, tribus leucis distantem Nangoia, vbi Fazamburus cum satellitibus eos præstolabatur. Qui pro amicitia veteri salutans Paulum fratrem nostrum, eius casum miseratus est. At Paulus: Mori, inquit, pro lege diuina, & doctrina cœlesti hominibus tradita, non est commiserationis materia. Vnam tantum rem à te contendo, quantis queo precibus, vt Nangasaci breue mihi tempus confitendi & cōmunicandi ante mortem indulgeatur. Idem petierunt P. Franciscani. Omnia omnibus promisit Fazamburus, sed promissa non præstitit, vt postea liquebit. Accedens deinde ad Ludouicum, de quo supra egimus, videns eum in tam tenera ætate constitutum, dixit: Vita tua in meo arbitrio est & potestate; si mihi seruire velis, te liberabo. Respondit Ludouicus: De me nihil statuo: id faciā quod visum fuerit Fratri Petro. Qui respondit: Acciperet cōditionem, modò Christiano ei esse liceat. Non, inquit, Fazamburus, fides Christiana ab eo deserenda erit. Tum Ludouicus: Hac cōditione, respondit, non cupio viuere, quia pro hac vita misera & momentanea facerem iacturam beatæ & æternæ.

Progressi denique longiùs, ingressi sunt regnum Figen, & perueniunt ad locum dictum Zucaschi, vnde sequenti manè discesserunt. Et quia in singulas horas videbant se viciniore morti, maluerunt reliquum iter pedites in magno frigore, licet itineris incommodis fracti, conficere vsque Sononchum, quod est in ditione Omurandoni; & Nangasacho octo vel nouem abest leucis.

QVID SONONCHI ACCIDERIT, ET DE  
RELIQVO ITINERE VSQVE AD LOCVM  
supplicii.

CAPVT XIII.

**A**D quartum Februarii sub meridie Sinonchum appulere captiui, eodemque tempore præstò ibi fuere duo è Societate Patres, Franciscus Pafius & Ioannes Rodriguez, à Viceprouinciali missi, vt sanctū hūc cœtū Sacramentis confessio-